



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt III. a Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## CAPVT II.

Alexander III. <sup>a</sup> *Vinton. Episcopo.*

Prohibeas attentius, ne in parochia tua pro licentia docendi ab aliquo aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid verò post prohibitionem tuam fuerit solutum, vel promissum; promissum remitti, solutum facias appellatione cessante restitui, sciens, quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date. Sanè si aliquis occasione hujus prohibitionis distulerit Magistros in locis congruis instituere, liceat tibi de concessione nostra omni contradictione, & appellatione postpositâ ibidem viros providos, & discretos aliorum instructioni præficere.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Vinton.*) Ita etiam legitur post Concil. Lateran. part. 2. cap. 17. & in prima col-

lectione, sub hoc titul. cap. 2. ubi additur pars capituli Nuncios, ut cognoscamus, in præsentî referri partem textus in capit. nuncios, de decimis.

## CAPVT III.

<sup>a</sup> Idem.

Quantò Gallicana Ecclesia majorum personarum scientiâ, & honestate præfulget, & eo cautius nititur curare, quæ confundere videantur ecclesiasticam honestatem; tantò vehementiori dignos animadversione eos censemus, qui nomen Magistri scholarum, & dignitatem assumunt in Ecclesiis vestris, & sine certo pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impediunt. Cùm autem hæc prava, & enormis consuetudo à cupiditatis radice procedat, & decorem admodum ecclesiasticæ unitatis confundat, providendum vobis est, & summo perè satagendum, ut consuetudo ipsa de Ecclesiis vestris extirpetur, cùm vobis præcipuè, & specialiter adscribatur, si quid in Ecclesiis eisdem laude dignum inveniatur, vel reprehensione notandum. Sub anathematis ergo interminatione curetis, ne qui dignitatem, si dignitas dici potest, fingentes, pro præstanda licentia docendi alios, ab aliquo amodò exigere aliquid præsumant, sed eis districtè præcipiatis, ut quicumq; viri idonei, & litterati volunt regere studia litterarû, eos sine molestia, & exactione qualicumque scholas regere patiantur: si verò nostra prohibitionis, vel præcepti extiterint transgressores, eos nostrâ auctoritate, & vestrà, officiis, & dignitatibus spoliatis. Porrò si juxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram gravem habebimus, & molestam, & ad eam corrigendam manum extendere compellemur, ita quod si velint in hujusmodi rapacitatis proposito persistere, non valebunt.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Idem.*) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titul. capit. 3. & post Concil. Lateran. part. 2. capit. 18. Ex Vincentio tamen refert

Anton. Augustin. in notis ad hunc textum, constitutionem hanc emanasse contra Cancellarium Parisiensem, qui à quolibet publicè docente marcham unam argenteam exigebat.

## CAPVT IV.

Idem <sup>a</sup> *in eodem.*

Quia nonnullis propter inopiâ, & legendi studiû, opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateran. Concilio piâ fuit constitutione provisum, ut per unamquamque Cathedralium Ecclesiam Magistro, qui clericos ejusdem Ecclesiæ, aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discipulis ad doctrinam. Verùm quoniam in multis Ecclesiis minimè observatur, nos prædictû roborantes statutum